

Vc
652



h. 11



Vc
652

h. 11, 12

R E C T O R
ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS
IOANNES
HENRICVS
DE HEVCHER
POTENTISSIMO POLONIARVM
REGI AC PR. ELECTORI SAXONIAE
A CONSILIIIS AVLAE ET ARCHIATER
ARTISQVE SALVTARIS IN HAC
ACADEMIA PROF. PVBL
CIVIBVS ACADEMICIS
S. P. D.



De Frederici Saxon. Principis.

R E C T O R
ACADEMIAE VITTEBERGENSIS
IOANNES
HENRICVS
DE HEVCHER
POTENTISSIMO POLONARVM
REGI AC PR. ELECTORI SAXONIAE
A CONSILIO AVCAE ET ARCHICAMER
ARTISQVE SALVARI IN HAC
ACADEMIA PROH. PUBL.
CIVIBVS ACADEMICIS



Hominum, maxime principum, fatalia saepe nomina esse, in utramque partem, omnisque plena, nemo iuerit inficias, nisi quem antiquitates fugerint Hebraeae, Germanicae, Graecae et Latinae, copia exemplorum, atque uarietate, abundantissimae. De Hebraeis tanto magis liquet, quanto magis, gentem hanc, constat, omnium esse parentem, ipsarumque procreatricem linguarum, et infinitarum prope artium, ac populorum magistrum quorumcunque. Haec sane, ab ipso Deo, dicendi, scribendique, rationem edocta, rebus nomina inuenit, naturae cuiusque omnino consentanea, et huiusmodi saepe, unde praedictiones uariorum casuum capesserentur, ac praesensiones. Cui, quaeso, uis lateat uocabulorum, Adami, Euae, Sethi, Enochi, Noachi, Phalechi, Heberi, Abrami, Isaaci, Iacobi, Beniaminis, Salomonis, Ioannis, Iesu, aliorumque, tum in antiqui, tum in noui, Foederis tabulis frequentissimorum, quae non, ab hominibus, conficta temere, nec temere imposita, sed a summo fabricata Numine, inditaque, certe, ab ipso Spiritu diuiniore, commemorata sunt, ac partim explanata. Qui, boni, aut mali, omnis causa, nominandi mos, uel diuino consilio usurpatus, uel humano, cunctas, et, in iis, barbaras etiam nationes, Gothos, Suenos, Francos, Saxones, reliquas, tanto peruasit opere, inuoluitque, ut, quoad eius fieri posset, euentis responderent nomina, et naturae cuiusque uelut latebras aperirent. Equis Graecorum Agamemnones, Aristoteles, Demosthenes, Themistocles, Aristides, Alexandros, alios, quis Romanorum Augustos, Seueros, Aurelios, Verres item, et complures, haud uanos futurorum, dextri, sinistriue, auspicii, ex nominibus suis, augures, ignoret. Vulgus quidem talia appellandi momenta, haud secus, ac fortuita, non satis caute, et prudenter, iusto suo pondere, examinat, quae interdum diuinam arguunt originem, eoque pertinent, ut ingenium hominis, aut praesens, uiuis quasi coloribus, depingant, aut futurum praenuntient, non tamen fatali Stoicorum necessitate, quam, ut Seneca ait, uis nulla rumpat, quaeque, extirpato, funditusque sublato, libero arbitrio, hominem, hominisque actiones, ad haec, uel illa, necessario praestanda, adigat uehementer, et astringat. Denuo hic iuuat, gloriosissimarum meminisse illarum gentium, quae, postquam Christo dederunt fidem, reges, principes, comites, nobili loco natos, et pecuniosos, insignire Dei, pacis, opum, uirtutum, amoris, rerumque aliarum, notis, haud obscuris, et inde Dietericos,

cos, siue, Theodoricos, Godofredos, seu, Gottfridos, Ansericos, Alaricos, Athalaricos, Hildericos, seu, Huldericos, et Vlricos, Suedericos, Sundricos, Liebhardos, VVolfhardos, Bernhardos, Eberhardos, innumerabilesque plures, ad illorum dotes uocabulorum conformare, illisque similes sic exprimere mores in suis, consueuerunt. FRIDERICI nomen, cui opera haec scribendi tantum nauatur, sigillatim Gothis, et Teutonibus antiquissimis, acceptum refertur, compositumque, ex *pace*, atque *opibus*, seu, *regno*, significat *pacis diuitem, potentem, et pollentem, regem* speciatim, ut in mentem ueniat, mirari, illustrem ICTVM, Gallum, Franciscum Hottomannum, perinde, atque Heluetum, haud ignobilem, Henricum Glareanum, commentationibus suis, Epororigem Aeduum, adolescentem illum Caesaris nobilissimum, absurda tot literarum mutatione, in Fridericum profus conuertisse, quanquam, Caesarem, Liuium, Tacitum, Suetonium, Velleium, plerosque Latii scriptores, Teutonica uocabula, minime negarim, et pronuntiasse male, et terminasse, cum, exempli gratia, clausula Germanica, *rich*, uel, *reich*, aut, Latina, *ricus*, in principibus illis, Gallis, redderetur perperam, atque efferretur, *rix*, ut Cingentorix, Dumnorix, cetera, quorum pleni sunt aurei, de bello Gallico, commentarii. Quod si igitur, ex supra praemunitis, et Hebraei, et Germani ueteres, et Graeci, et Latini, unde reliquae, in uniuersum, linguae pendent, non sine diuina saepe prouidentia, homines haud raro, certis, propriis, diuinisque, et praesagientibus quasi, distinxerunt uerbis, quod, de Germanis priscis, omnium doctissime confirmat Iust. Georgius Schottelius, in stupendo L. Germ. opere, mirandum utique non est, dari etiamnum diuinitus nomina imperantibus, regnis quibusdam summis, prouinciis que splendidissimis, salutaria maxime, atque auspicata, quae per plurium uiguerunt tractus seculorum, serie, aut continuata, aut interrupta aliquando. Vt fastidiamus peregrina, domesticis, iisque, in illustrissimis monumentis late patentibus, FRIDERICORVM, *Marchionum* cum primis Misniae, ac Principum deinde ELL. Saxonum, tot, tantisque, documentis mouemur, quae, in theatro orbis terrarum, uulgari prouerbio, nomen et omen, hoc est, pacis publicae, mordicustuendae, redintegrandaeque, studium, et potentiam, probarunt, spectanda hic, sine subtili historiae tractatione. Primus, ex *Marchionibus*, prodeat in medium FRIDERICVS, cognomento, Animosus, cui quidem, et fratri, Diez-

Diezmanno, Albertus, Degener, pater, horrenda in uiscera faeu-
uitie, ingens faceffiu negotium, bello tamen crudeli, et diu-
turno, fuccubuit tandem, femel iterumque, captiuus filio, al-
teri, ut a Georgio Fabricio celebratur, Camillo, eidemque, de-
letis bellis, ac latrociniiis, fecuritatii inftauratori, et tranquillita-
tati. Animofum excepit Seuerus, FRIDERICVS, filius, geni-
tore fuo in tantum maior, in quantum, A. MD CCC XLVII, con-
tra Carolurg IV, rite designatus Romanorum rex, auguftiffima
imperii dignitatem, animo magno, et diuinum mortali-
s conditionis fatigium defpiciente, aequiffimoque, re-
pudiauit. Hoc uno minor parente Seuero, feu, Graui,
ferebatur FRIDERICVS, Strenuus, de pacandis alioqui
prouinciis fuus, purgandisque a praedonum colluue, fuma-
mo meritis opere, cui quippe praecipuae cumulus gloriae
acceffit, quod, expugnatione Eckardiſbergae, Friburgi, et
Dornburgi, ad Salam, arces diſturbauit, Thuringiae infenſiffi-
mas. FRIDERICVM deinceps Bellicofum, Strenui gnatum,
atque, extincta Afcaniorum, in Alberto III, progenie, non tam
nomine, quam re, primum fimul Saxonum principem, eligendi
Imperatoris auctoritate praeditum, et Lipsienſis Academiae,
ex Praegenſi, conditorem, admiremur, neceffe eſt, quia id
cognominis, non tam ardenti bellandi ſtudio, aut, peritia ſing-
ulari, meruit, quam debellandi cupiditate, qua, longe late-
que, domi, ac foris, ſigillatim, per Pannoniam, Bohoemiam, et
Boruffiam, confectis bellis, et tumultibus, in perpetuam laudis
illius, propriamque, ueniſſet poſſeſſionem, tot, quod mirere,
Fabricii, Albini, Peccenſteinii, Chytraci, Cranzii, Dreſſeri, reli-
quorum, monumentis teſtatam, ni commiſſum, ſe abſente,
cum Huſſitis, praecium fatale iſtam turbaffet. Bellicofus,
mirum dictu, Placidum generauit, FRIDERICVM II
terrarum heredem Saxonicarum perinde, ac dignitatis Se-
ptemuiralis, qui, ſi alius unquam, ingenio tam mitis fuit, tam-
que lenis, ut expectationem cognomenti ſuperaret, iſque, nec
ſago, ſed toga, emineret. Prodigio ſane, portentoque, ſimi-
lis huius Principis manſuetudo obſtitit, quo minus atrociffi-
mis Conr. Kauffungi minis ullum relinqueret locum, de ſi-
liorum fuorum pari, Erneſto et Alberto, rapiendo furan-
doque, unico totius tunc Saxonicae propaginis columine.
E diuerticulo hiftoriae, interiecta aliqua Erneſti, Principis EL
intercapedine, in uiam, id eſt, ab Erneſto, ad FRIDERI-
CVM III, filium, aeque Septemuirum, ac Sapientis, immo,
ſapientiffimi, elogio, praefantem, redimus, qui, ut a pace,
opibusque, quemadmodum ſupra oſtenſum, nominis ſui
ratio

rationem duxit, ita summis pacis studuit ornamentis, ac praefertim VVittebergae, loco, ex uaticinatione Polichii, et Fleccii, diuinitus, ad id, delecto, Musarum sedem, et domicilium, collocavit. Perarduis hisce conatibus, contra opinionem omnium, ita fauit propitium fatum, ut opus, tot priuilegiis, tot annuis docentium subsidiis, tot aedificiis publicis, tot literatis discipulorum stipendiis, tot artium magistris, sacrarum, et profanarum, idoneis, aliisque tot instrumentis, comparandis, conquirendisque, multo impeditisimum, tam expediret breui, quam, omni aetate sua, uix alius quisquam. Ut taceamus, dignum fuisse habitum, cui summi consilarii Caesarei pariter, ac locum tenentis Imperii, praeconium imperiretur, eiusque, concordibus suffragiis, A. MDXIX, concederetur clauus, quem tamen senex, de iure plane suo cedens, Carolo v, lubensque, et ultro, de manu, ut dicitur, tradidit in manum. Quis ergo, tam luculentis rerum testimoniis conuictus, FRIDERICI nomen, dubitaret, coelo tanquam impositum Saxoniae Principibus, in medium supra productis, ad quos si aggregares IOANNEM FRIDERICVM, additamento Constantis, et Magnanimi, immortalem, sique priscos Brenae, Saxonum uetustae ditionis, comites, FRIDERICOS, adiiiceres, multo hi numerarentur plures octo Antoninis illis, sine quibus, sic fauste appellatis, facta tecta neutiquam olim putabatur respublica Romana. Quis, ui uocis, istos non agnosceret *pacis diuites, potentes, ac pollentes*, qua amplissimas quasque prouincias terris suis adiunxerunt magis, quam subegerunt bello, quique, re ipsa, comprobauerunt omina, id in primis, quo, seorsim FRIDERICIS, Seuero, et Sapienti, deferenda imperii Romani gubernacula, publicae tutandae pacis, conseruandaeque, ergo, si quidem ea ipsi haud refugissent, decernebatur. Consilio dehinc non humano, eoque, ad perferendum, difficili, factum est, ut FRIDERICORVM, Ernestina in gente Septemuirali, clauderet agmen. IO. FRIDERICVS, obstupescientis diuinae prouidentiae theatrum. Habet uero has uices conditio mortalium, ut stabile nihil sit, perpetuumque, cum tota ipsa uariet rerum natura, ac faciem aliam induat atque aliam, et, in ipsis scenis, personae, cum nominibus, murentur. Haud secus, iam inde a Mauritio, Alberti nepote, in locum istius, a Carolo v exauكتورati, succedente, usque ad nostrum FRIDERICVM AVGVSTVM, Potentissimum quondam Sarmatarum Regem, mortalitati nuper ereptum, Principes ELL. intercesserunt octo, uarie quidem, distincteque, nominati,

minati, integro tamen, ac continenti, generis Albertini ordine, iidemque illi, gestarum gloria rerum, maxime insignes. Hic noua se pandit fatorum series, pristinique, in superiorum FRIDERICIS seculorum, cumulati, sed aliquandiu interrupti, decoris, eiusque uel Caesarei aliquando, memoriam non renouat solum, uerum etiam opinionem regiae dignitatis, olim Wittikindeae dubiam, nunc recentioribus, illustrissimisque, duorum Regum exemplis, nostrae reseruatissimae memoriae, haud dubie confirmat. Numini enim prouidentissimo placuit, ueteri illi maximi ponderis, de quo supra, ex instituto, expositum est, addere aliud prorsus, diuque insolens, AVGVSTI uocabulum, adeoque manifesto declarare omine, haud exiguas ipsi accessiones futuras, et fortunarum, et honorum. Verbi quippe Romani notionem siue quis ab augendo, id est, amplificando, quod uulgus existimat, siue, ab immolando, hoc est, consecrando, quod eruditorum est cogitatum, arcescat, utriusque potestatem euentus haud frustratus eo ualuit, ut, anno **CIO DC XCVII**, plaudente terrarum orbe, qua meliorum partium fuit, Sarmatarum Rex inauguratus, et potentiam dilataret suam, et sanctae possessionem maiestatis occuparet, euaderetque tunc demum, spreto simulacro, proprie, uereque, Augustus. Ne uero fatorum, seu, uoluntatis Dei abdita et retrusae, iniquus aliquis aestimator mirandum hoc coelestis prouidentiae documentum ad fortuitum, temerariumue, referre casum, ipsumque adhibitis, permisso summi Numinis, tribuere hominum machinis, ausit, et colligere inde, aut detortam a nobis nominis sententiam, conatumque esse uanitatis plenum, aut putidam quandam superstitionem, is, quam maxime intentis oculis, ut aiunt, acerrime contempletur Filium, Saxonem, FRIDERICVM AVGVSTVM, uiuam, et spirantem, immortalis Patris imaginem, et eundem Herum nostrum multo indulgentissimum. Hunc, uti diuina nascendi fors, Parentis, superiori anno, gloriosissime demigrantis e uita, successorem, uoluit, esse, iussitque, Principem EL. ita Sarmatarum natio, maximam partem, non poterat non sibi sumere Regem, quem praepotens regnorum arbiter, ad uindicandam eorum securitatem perinde, ac libertatem, praeter antiquam FRIDERICI appellationem, a primo faru, titulo AVGVSTI, altissimo imperii gradu destinarat, cum ille, natia sua uirtute, non, nisi de Rege, uel, Caesare, sit accipiendus. Bene igitur, feliciterque, euenit, et Polonis, et Saxonibus, coniunctissimis communis Germaniae causae propugnatoribus, custodibusque pacis publicae, ut III Nonas Octobres, die,

FK No 652

die, in fastis, nunquam non commemorando, omini, secundissimo rerum successu, fieret satis, atque istius tutelae, et paterno amori, respublica, ab optimatibus regni, iusta, legitimaque, committeretur electione, electusque, proxime XVI Kal. Februarias, sacro, et solenni, ritu, in regia Cracouiensi, initiaretur iuxta, Rexque renuntiaretur. Dici non potest, quantum sic pericula finitimorum ceruicibus sit depulsum, quantum referat, Gallum, Gallique clientem, et eum, quod maximum est, ardentissima necessitudine, et inusitata beneficiorum magnitudine, mancipatum, non habere uicinum, sed duntaxat amicum, ut oraculum hoc pragmaticorum, iam dudum, in prouerbii abiierit consuetudinem, temporum, rerumque, usu firmati. Nostrae igitur est pietatis, primum omnium Deo O. M. regum regi, ac domino dominum, pro munere, Saxonibus iterum diuinitus concessio, infimas agere gratias, et habere, deinde gratulari, eo, quo decet, humillimo cultu, AVGVSTO III, Regi quam clementissimo, de delatis, traditis, susceptisque, more, et instituto, maiorum, Poloniarum insignibus, tum supplicare, pro salute huius, Reginaeque pariter, ac Regiae Sobolis, et nuncupare uota, denique celebrare palam, uenerarique, beneficentissimi Patris patriae munificentiam, qua, AVGVSTVM, Principem EL. Academiae quondam nostratis amplificatorem, alterumque uelut parentem, imitaturus, pretioso admodum, nec comparando facile, integrorum cadauerum, partiumque, sigillatim, Ruyschiana, cera miniata, expletione, uiuorum quasi corporum, membrorumque, miraculorum item complurium, et naturae, et artis, apparatu, in usum non minus, quam ornamentum haud uulgare, Anatomices, auxit nuper illam benignissime, atque locupletauit. Hanc ipsam animi obsequentis, totque religionis obligati uinculis, pietatem, publico nomine, oratione publica, tantis digna solennibus, testificandi munere defungetur. Amplissimus Academiae Orator, Io. Guilielmus Bergerus, Consiliarius Caesareus, et Regius aulicus, ad quam, in aede sacrae arcis Academicae, eademque reliquarum matre repurgatarum omnium, proxima Lunae die, peractis, hora IX, sacris, audiendam, Excellentissimus Praefectus militiae pedestris, et Gubernator huius castris, Illustrissimi Comites, Perillustres Barones, Patres, omniumque Hospites ordinum, ac ciuitati literatae ascripti, pro ea, quae in singulos conuenit, officii, humanitatisue, ratione, rogantur. P. P. III IDVS FEBR.

A. R. S. CIO DCCC XXXIV

VVITTEBERGAE EX OFFICINA GERDESIANA

ULB Halle
006 208 711

3



W18



R E C T O R
 ACADEMIAE WITTEBERGENSIS
 IOANNES
 HENRICVS
 DE HEVCHER
 POTENTISSIMO POLONIARVM
 REGI AC PR. ELECTORI SAXONIAE
 A CONSILIIIS AVLAE ET ARCHIATER
 ARTISQVE SALVTARIS IN HAC
 ACADEMIA PROF. PVBL
 CIVIBVS ACADEMICIS
 S. P. D

